

RECENS HABITÆ

19

Vnum quoq; obliuioni minime tradā, quod non nisi aliqua cum admirat one adnotauit: *medium quasi Lunæ locum a cavitare quadam occupatum esse reliquis omnibus maiori, ac figura perfectæ rotunditatis*; hęc prope quadraturas ambas conspexi, eademq; in secundis supra positis figuris quantum licuit imitatus sum. Eundem quo ad obumbrationē, & illuminationē facit ad spectum, ac faceret in terris regio consimilis Boemiæ, si montibus altissimis, inq; peripheriam perfecti circuli dispositis occluderetur vndiq; in Luna n. adeo elatis iugis vallatur, vt extrema hora tenebrosæ Lunæ parti contermina Solis lumine perfusa spectetur, priusquam lucis vmbraeq; terminus ad mediam ipsius figuræ diametrum pertingat. De more aut reliquarum macularum, vmbrosa illius pars Solem respicit, luminosa vero versus tenebras Lunæ constituitur; quod tertio libenter obseruandum admoneo, tāquam firmissimum argumentum *asperitatum, inæqualitatumq; per totam Lunæ clariorem plagam dispersarum*, quarum quidē macularum semper nigriores sunt illæ, quæ confinio luminis & tenebrarum cōterminæ sunt; remotiores vero tum minores, tum obscuræ minus apparent, ita vt tandem cum Luna in oppositione totum impleuerit orbem, modico admodumq; tenui discrimine, cavitatum opacitas ab eminentiarum candore discrepet.

Hęc quæ recensuimus in clarioribus Lunæ regionibus obseruantur, verum in magnis maculis talis nō conspicitur lacunarum eminentiarumq; differentia, qualē necessario cōstituere cogimur in parte lucidiori; ob mutationem figurarum ex alia atque alia illuminatione radiorum Solis, prout multiplici positu Lunam respicit at in magnis maculis existunt quædam

B 2